4334 3/P

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

FRUCTIBUS HORAEIS

QUAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHULZE

MEDICINÆ ELOQUENTIÆ ANTIQUITATUM ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM ET REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARUM BEROLINENSIS SODALE

PRO GRADU DOCTORIS

RITE CONSEQUENDO

A. d.   Maii Anni MDCC XXXVII.

PUBLICE DEFENDET

ERNESTUS FRIDERICUS REDTEL

SILESIUS ARTIUM ET PHILOSOPHIAE MAGISTER.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

FRVCTIBVS HORAEIS.

PROOEMIVM.

IMmenſa DEI bonitas, quum hoc vniuerſum creauiſſet & pulcherrimo ordine omnia inſtruxiſſet, vt mille annis toties iam transactis nihil vetuſtate detritum, nihil effœtum & labefactatum argui demonſtrarique poſſit; non ſolum perpetuitatem ſuo operi firmitatemque addere voluit, verum etiam nihil omiſit, vt varia multiplicique gratia & iucunditate adiuncta admirabile illud redderet, rationisque vſu præditas creaturas alliceret & impelleret, vt ſummum & perfectiſſimum conditorem ſuum horumque omnium pia veneratione proſequeretur. Quanta ſunt enim, quamque varia, quæ nos delectando iuuant, & iuuando delectant? Quam infinita eſt varietas florum iucundiſſimorum, qui inſigni varietate ſua oculos delectant, vt nulla pars anni ſit, quin ali-

quos proferat, aliquæ præter ceteras ſuperbo hoc ornatu luxurient, ipſosque reges & principes, qui nihil non pretioſi oſtentare poſſunt, cultu & elegantia prouocent? Atque ne oculus tantum, quo paſcatur, habeat, plerisque horum ſpirans & nobis promte occurſans gratia ineſt, quæ, in circumfluum aerem dimanans, odoratus organum iucunde inuitat, & per hoc cum cerebro communicata alio quidem tempore blandum nobis ſomnum allicit, alio vires deficientes lapſasque e fuga quaſi reuocat, & alacritatem reddit. Tactum, quem per vniuerſum corporis ambitum diſpoſuit, recreant & blande demulcent ſicque alacritatem reſtituunt, alio tempore radii ſolares, qui nos frigore torpentes excitant, aut ignis, ſoco alendo aptæ materiæ beneficio excitati, calor admiſſus; alio, vbi plus iuſto æſtuamus, blandi zephyri, eteſiæque, & arte facili comparandæ ventilationes, mollesque, quibus feſſi decumbamus, lectuli. Audiendi facultatem porro dedit, non vſus tantum cauſa, vt de diuino cultu inſtituti ſolatia & ſpei firmiſſimæ præſidia, officiorumque præcepta hauriremus, verum etiam vt amicorum alloquio frueremur, vtque auicularum iucundum admiraremur concentum, muſicæque diuina dulcedine refici & in varios multiplicesque

animi

animi motus impelli eius ope poſſemus. Accedit poſtremo quidem loco a nobis reſeruata, ſed haud dignitate poſtrema, facultas diuerſiſſimos ſapores diiudicandi, atque ex gratis & acceptis vtilem delectationem percipiendi. Illa quidem in variis verſatur, quæ per os aſſumenda ſunt, diiudicandis: ſed ciborum potuumque genera in primis diſcernit, efficitque vt alia, vix non ſemper deteriora, refugiamus, alia autem ſubinde iuſto largius aſſumamus. Atque hæc inter ſunt vtique illi, de quibus agere inſtituimus, fructus, quos a breui gratia, quippe tempori certo adſtricta, *horæos*, Latine *fugaces* appellamus: quorum vſus aliquibus moderate & tempeſtiue adhibentibus pro medicina eſſe poteſt; tantum abeſt vt noceat: aliis vero incongrue vſis peſſime ſæpe cedit. Hinc fit vt diuerſiſſima ſint medicorum de his fructibus iudicia: quibus expendendis operam noſtram addiximus, oſtenſuri quantum recto vſu hi proſint, quantum prauo detrimentum afferre valeant.

§. I.

H*Oræi* fructus appellantur nomine a Græcis accepto. Originem ac vim nominis optime declarat GALENVS *de aliment. facult. lib. II. cap.* 2. Scilicet ὥρα apud hanc gentem multa alia denotat quidem, ſed inter hæc etiam illam totius anni pulcherrimam partem, in cuius medio caniculam exoriri contigit. Tempus autem id dierum quadraginta definit, quo decurrente omnes horarii, quos vocant, fructus conſtant: nonnulli iam declinantes, alii incipientes, alii in ſuo vigore, aut vltra vigorem aut citra, conſiſtentes. Eſt autem alia etiam notio eius vocabuli, quam Latini innuunt noto illo HORA RVIT: ſcilicet quæ inuoluit ideam fugacitatis & tranſitoriæ durationis. Etiam hanc agnoſcit, in denominatione hac, laudatus GALENVS, quando eos fructus non ſolum ab anni tempore dictos agnoſcit, verum etiam inde, quod ad reponendum & durandum minus ſunt idonei. Nam & hordeum & triticum, longeque plura, habent ſua, quibus] ſe matura ad vſum colligenda præbent, tempora: ſed non tam cito corrumpuntur, quam illi, quibus proprie conuenit nomen horæorum, quibus frui in tempore oportet, illo autem tranſmiſſo carendum eſt. Atque id intuiti Latini vocant hos fructus *fugaces*. Quamuis huius appellandi rationis exempla deſiderem. Nam apud CELSVM *libr. cap.* 24. video multos ex horæis fructibus generali nomine *pomi* eſſe comprehenſos: quod quidem ſub ſe comprehendebat quicquid in arbore naſcitur, ſiue ad nuces ſiue ad mala pertineret: de qua diſtinctione videri poteſt MACRO-

CROBIVS *ſaturnal. ſermon. libr. II. cap. XV.* Quin pomorum appellationem ab optimis ſcriptoribus latius fuiſſe extenſam facile probaremus compluribus exemplis, ſi nunc liceret grammaticos agere. Lege, ſi placet, NICOL. BLANCARDI, medici & philologi, notam ad ARRIANI *Indica pag. 581.*

§. II.

Quantum Græci medici, a quibus & nomen & artem accepimus, ſub horæorum fructuum nomine comprehendant, illico patet laudatum GALENI librum inſpicienti. Refert enim ad hoc genus cucurbitam, pepones, melopepones, cucumeres, ficus, vuas, mora, ceraſa, rubi fructus, nuces pineas, perſica, armeniaca, omne pirorum & malorum genus, meſpila, ſorba, palmas, oliuas, nuces, amygdalas, piſtacia, pruna, ſiliquas, aliaque noſtræ patriæ non adeo familiaria. Apparet itaque antiquos ſub fructuum horæorum nomine complexos fuiſſe omne genus fructuum edulium, ſiue ab herbis collectorum, ſiue a fruticibus deſumtorum, ſiue denique ab arboribus iuſtis decerptorum. Fructum autem intelligere hic debemus aliquanto ampliori ſenſu, quam botanici recentiores accipiunt, qui hoc nomine denotant quod carne & ſemine compactum eſt. Nam ſi ita rigide acciperemus, nuces nobis quædam, cum pineis, &, ni fallor, piſtaciis exciderent: quum certe in auellanis ac pinorum ſtrobilis nihil carnoſæ pulpæ inueniatur, ſed merum inuolucrum, quo nucleus edulis ambitur & compingitur.

§. III.

Spero iam ex dictis clarum eſſe poſſe, quid nomen fronti diſſertationis præſixum denotet, & quam multa ſub

ſub ſe complectatur. In quo ſi forte philoſophicus rigor aliqua ſubtilius exigi debuiſſe aut potuiſſe exiſtimet; haud quidem grauabimur id concedere. Quum vero in rebus diu iam nomine aliquo receptis & per multa ſæcula propagatis prudentes viri vetent in nominibus multum tricari, ſed receptis illis, vt numis, vti iubeant: neque nobis vitio vertetur, ſi per tot iam ſæcula vſu confirmatis vtemur. Supereſt igitur, vt ad rei ipſius tractationem accedamus, eaque fructuum horæorum genera, quæ in patria noſtra noſcuntur, breui conſiderationi ſubiiciamus. Non anxie requiremus ordinem certum, cui noſmet adſtringamus: dabimus tamen operam ne valde diſiungantur, quibus aliqua ſimilitudo intercedit. Quumque medicum ſit ſpecimen exhibendum, abſtinebimus ab omnibus, quæ a medicina longius recedunt: iis autem inhærebimus, quæ ad vires iuuandi vel lædendi, & ad recte vel praue vtendi modos pertinent. Si diſſentientes in talibus deprehenderimus medicæ reipublicæ proceres, ea ſequemur, quæ experientiæ clariori ſuffragio nituntur: hoc autem deſtituti in medio rem relinquemus potius, quam audaciori iudicio veritatem offendamus. Neque tamen vltra modulum ac finem illius vſus, quem in ſubſtantia, vt loqui ſolemus, adhibita, præſtant, ad ea etiam diuagabimur, quæ inde parata proſtant aut parari poſſent. Alias enim verendum eſſet ne fines diſſertationes longiſſime deberemus excedere, ſi, exempli gratia, poſt vuas de muſto, defruto, ſapa, vino, tartaro, atque ex his porro parabilibus, ſermo hic inſtituendus eſſet.

§. IV.

CVCVRBITAM quia GALENVS primo loco poſuit: neque nos eam hinc detrudemus. Nulla manifeſta qualitate conſpicua eſt caro eius: quam crudam vitare omnes iubent; elixam CORN. CELSVS II. 24. inter ea reponit, quæ ſunt ſtomacho idonea. Modos apparandi varios docet GALENVS. IVL. ALEXANDRINVS *ſalubrium IX. cap. 9.* vſum eius maximum eſſe ſcribit ſedandæ ſiti, quam præſertim bilioſus humor excitauit, demendoque corpori ſquallori in ſummis feruoribus, magnisque ambientis ſiccitatibus: quod quidem ex ſchola & praxi Arabum effluxit, vt patet legenti FRANC. de PEDEMONT. *de ægritud. ſtomach. c. XX.* Quin exempla recenſentur febrium ardentium ſyrupo ex cucurbitæ ſucco cito & iucunde curatarum. Facile credimus LVD. NONIO *de re cibar. lib. I. c. 21.* maiorem huius fructus vſum eſſe in calidioribus regionibus, quam quidem in noſtris frigidis, vbi vix ſatis a ſole percoquitur.

§. V.

Ad CVCVMEREM SATIVVM progredimur, quem DIOSCORIDES *libr. II. cap. 163.* ita commendat: *aluo ſtomachoque vtilis eſt, refrigerandi vim habet, non facile corrumpitur, ac veſicæ prodeſt.* Mirum in modum inter ſe diſtant medicorum ſententiæ de cucumeribus. Plerique ſuccum prauum in illis ſupponunt, adeoque GALENI ſententiam probant talem: *qui cucumeres belle concoqunt, cum eo ipſo ſiſi affatim iis ſe impleuerint, iis tandem longo temporis tractu accidit, vt ſuccus frigidus ac mediocriter craſſus in venis coaceruetur, quæ in ea coctione, quæ fit in venis, haud facile mutationem in probum ſanguinem recipiat.*

piat. Quare omnibus praui ſucci eduliis cenſeo abſtinendum, etiamſi ea quibuſdam concoctu ſint facilia. Nobis enim non aduertentibus *prauus ſuccus poſt longum tempus in venis colligitur, qui poſtea exiguam ad putrendum occaſionem nactus febres malignas accendit.* Impugnant itaque ſuccum eorum tamquam noxium: huncque præparando elicere ſtudent multo ſale adſperſo, quod cum ſucco colliqueſcit & effluit. Sed probe noui aliquos contrarium ſentientes, & experientiæ ſuffragio a me aſſenſum fere impetrantes. Noui homines, qui maturos cucumeres, cortice exteriori ablato, radula comminuerunt, ſuccumque prælo expreſſerunt: huncque ſaccharo edulcoratum ad duas vncias, bis per diem, dederunt hominibus tabidis & hectico calore iam magno & conſpicuo gradu flagrantibus; idque non ſolum ſine vllo incommodo, ſed firmo & ſtabili fructu. Viuunt hic Halæ homines, qui cuiuis dabitanti certum teſtimonium perhibebunt. Si cucumeres aliquibus nidoroſas cruditates relinquunt, ſequeſtrari debet prius quid reliqua voracitas effecerit, quidque exceſſus ipſe & varietas adiectorum, ante quam cucumeribus vnis crimen impingatur. Muria ſalſa conditi, aut cucumeres infantes, aceto & quibuſdam adiectis in alienos menſes ſeruati, certe non exiguo fructu quotidie eſitantur ab illis, qui temperantiam omnium rerum curæ habent. Proinde tamen non dixerim laudabile eſſe, ſi quis illis ſolis, vt apud quaſdam gentes ſtatis ieiuniis adſtricti egeni homines faciunt, cum pane groſſiori per multos dies victitare deberet: præſertim ſi copioſe ſuperingeſto ſpiritu aduſto, aut pipere immodice ſubiuncto, valetudinem

inſu-

inſuper labefactent, ceteriſque incommodis, quæ pauperem multitudinem ſæpe vexant, ſint expoſiti.

§. VI.

Pertinent ad hoc fructuum genus PEPONES & MELOPEPONES, quibus, a GALENO iam in hanc claſſem relatis, recentiores adiiciunt *angurias* & *citrullos*. Quis ſit pepon veterum haud ita expeditum inter noſtros reperitur; qui iidem de anguriis & citrullis multa diſceptant: vide, ſi placet, IVL. ALEXANDRINVM *ſalubr. lib. IX. cap. 9.* & PETR. ANDR. MATTHIOLVM *lib. II. cap. 128.* Noſtrum non eſt componere tantas lites. Aſſumemus, quod pluribus videmus placere, melopeponem eſſe illum fructum, quem in noſtris hortis vocant *melonem*: fructum ſcilicet ad cucurbitam ſatis prope accedentem, ſapore dulci & aliquantum vinoſo, odoreque ſimili, malorum maturorum gratiæ comparando, præditum. Tales apud nos in hortis non ſunt infrequentes, reperiunturque, ſi iuſta cultura adhibita, & maturitas debita conſequuta fuerit, non ſolum ſatis innoxii, verum etiam ad æſtuantem ventriculum blande refrigerandum, ſiccitatemque & ſitim emendandam, apprime vtiles. Modo & hic temperantia accedat, nec nimis iam aliis cibis ſuperonerato & extenſo ventriculo ingerantur: quæ forte cauſa eſt, ob quam plurimis eſum melonum noxium fuiſſe ſæpe viſum fuit. Vinum generoſum modice ſuperbibi ſine vitio & errore poſſe facile adſentio Ludou. NONNIO: in æſtuoſis regionibus & corporibus non eſſe neceſſarium, expertis credo. Qui melonibus imputant, quod quatuor Cæſaribus mortis cauſa exſtiterint, intempeſtivum ac nimium vſum accuſant. Militibus Germanis in

in Hungaria ſæpe illos nocuiſſe credo: ſed alia, quæ a caſtris Hungaricis vix vmquam abſunt, & corpora morbis obnoxia reddunt, ſimul computanda & ad rationem reuocanda exiſtimo: vt appareat, cur Hungaris non æque ac aduenis, & in vrbibus ac pagis commode degentibus minus, quam ſub tentorio viuentibus & caſtrorum ærumnas perferentibus noxam inferant.

§. VII.

Nos nunc pedem ad alia promouemus. Inter iucundiſſimos & patriæ noſtræ familiariſſimos fructus ſeſe primum ingerunt FRAGA quæ & coloris iucunditate & ſaporis ac odoris gratia inſignem in modum ſeſe nobis commendant. Horti maiores cultura fructus efficiunt, ſed vix aut iucundiores aut ſalubriores reddunt, quam in ſiluis & montibus ſponte proueniunt. Videntur ipſa humilitate ſua inuidiam effugiſſe, vt minus fraga, quam ex fructibus horæis quisquam alius, aut ſuſpicione onerata aut accuſata videamus. Præclara ſunt, quæ NONNIVS *c. l. pag. 97.* ſcribit: *nusquam auditum aut ſcriptum, quemquam horum eſu maligno aliquo affectu correptum.* Mirum ſi circa fraga conſentientes medici vel vnum confeſſæ rei documentum reliquiſſent! Et ſane perit gaudium, quando commemoratum legimus apud auctorem *botanologiæ medicæ: Melchiorem, ducem Brunsuicenſem, fratrem Ottonis Neapolitani regis, fragorum nimio eſu interiiſſe;* eiusque narrationis auctorem eſſe KRANZIVM *in Vandalia lib. IX. cap. 9.* Iam vide, optime lector, vt fabulæ in medicos libros inducantur & propagentur. Scripſit KRANTZIVS, vt ex eo SCHENCKIVS in *obſeruat. medic. lib. IX. pag. 976.* fideliter refert, in hunc modum: *Melchior - - epiſcopus factus zvverinenſis,*

ſis, *medone* (h. e. mulſo) *venenato Roſtochii hauſto*, *male ſe habens*, *profectus in Burzoua arcem*, *cruciatu agitatus*, *fragis ad refrigerium magna copia ingeſtis*, *intumuit crepuitque medius*. Huic excerpto lemma ſuperſcribitur, quod ſolum legit tranſſcriptor: *fragis magna copia ingeſtis medius crepuit*. Vsque adeone nullæ fuerunt vires venenato medoni, vt venia ipſi daretur, omnis autem culpa in mitia & benigna fraga reiiceretur? Scilicet ita condendi ſunt libri, qui vires vegetabilium veras doceant. Deploro conditionem medicinæ, quam ſtudium magnos libros ſcribendi magnis malis obruit.

§. VIII.

Non poſſum quin referam, quod ante non multos annos hic accidiſſe noui. Erat aliquis iuuenis omnino tabidus & febre hectica adeo laborans, vt a medicis audiret non ſolum parum ſibi bonæ ſpei ſupereſſe, ſed deſperatam eſſe ſalutem. Traxerat animam ad veris adultioris id tempus, quod, in æſtatem iam tranſiturum, fructus primos protulerat. Conſpicit fraga ſibi allata, magnaque cupiditate edit, ſeſeque recreatum ſentit. Vndique coemenda plura iubet. Monent amici, cauendum eſſe, ne nimium aſſumendo ſibi noceat. Ille auditam certe imminentis mortis denunciationem prætexebat: malleque ſe iucunde frui illis, quæ ſaperent, dicebat, quam ſine hac vſura ineuitabilem mortem oppetere. Dum ita indulget appetitis fructibus, depaſcentem æſtum imminui ſentit, vires inſtaurari, ſomnum redire placidum, ſudores colliquantes deſinere, omnia in optimum ſtatum reuerti intelligit, vt ſubſequente auctumno lætus & alacris prodire, ſuamque patriam repetere poſſet omnino incolumis. Altero anno

vir nobilis ex difficili febre inflammatoria, quæ absque laudabili criſi in lentam, periculoſis ſymptomatibus ſtipatam, tranſierat, grauiſſime decumbebat, vt maiores timendi quam bene ſpirandi rationes adeſſent. Hunc conſentientes duo medici etiam inuitabant ad fraga & ceraſa, iuſta quidem lege, copioſe & quotidie edenda: quorum vſu ita conualuit, absque medicinis commemoratu valde dignis, vt nunc per quatuor annos athletice & pancratice viuat.

§. IX.

Cum fragis proxima eſt affinitas & conuenientia fructuum RVBI IDÆI, vt & MORORVM: quare ad hæc commode tranſimus. Scilicet conueniunt hi fructus non ſolum externo habitu, verum etiam ſapore grato, ſucco vinoſo acido-dulci temperatiſſimo: quamuis mora peculiare hoc habeant, quod virtutem adſtringentem præ alteris manifeſtam poſſident. Equidem non valde laborabo nunc in illa inueſtigatione, verene illa βάτος Ἰδαῖα, rubus Idæus, noſter ille ſit, qui per Germaniam in hortis & vliginoſis locis frequentiſſimus eſt, & quo magis hinc ad ſeptemtriones pergimus, & frequentior & melior occurrit. Id ſatis certum me ſcire puto, illum apud Gallos *Framboeſia* dictum, apud nos rubum Idæum appellatum, fruticem eundem eſſe. Quanta autem ſit fructuum huius rubi præſtantia, vix ſatis exprimere verbis poſſe videntur medici, qui inter primarios locum fuerunt conſequuti. Certe CONR. GESNERVS *epiſt. lib. I. p. 4.* ſuccum earum in ſyrupum redactum analeptico ſcopo quibusuis aliis, omnibusque perlis & gemmis, præfert. THOM. autem BARTHOLINVS *de medic. Danor. domeſt. diſſ. V. p. 207.* rob eius-

eiusdem in venenatis morbis idem præſtare iudicat, quod theriaca poſſit: & *pag. 216.* celeberrimæ confectioni Alkermes non ſolum æquiparat, ſed præferendum etiam declarat. Cui addo commendationem celeberrimi PAVLI NEVCRANZI *de purp. pag.* 444. qui tam ſyrupum, quam vinum baccarum rubi Idæi, inſigni laude effert inter analeptica in febribus malignis exanthematicis. Non tangam aceti illis fructibus imbuti vel gratiam vel laudes: quippe hæc omnia non referenda exiſtimaui, niſi vt cognoſcatur quanto medicorum, forte etiam nimis laudantium, conſenſu iſtorum fructuum innocentia tutusque vſus confirmatus ſit.

§. X.

Ab rubi Idæi fructibus non adeo longe diſtant RVBI SILVESTRIS fructuum laudes, qui, ex locis non nimium vmbroſis & abditis, ſed magis ſoli & perflatui expoſitis, collecti, beneque maturi, nihil habent quod modice vtentibus metuendum ſit. Memini non improbandi ruſticæ plebis experimenti, quæ farinam toſtam, cum ſucco rubi fructuum, in diarrhoeis torminoſis, ipſaque vera dyſenteria, non ſine laudabili ſucceſſu ſubinde adhibet. MORA autem dicuntur, quæ, rubi fructui valde ſimilia, in arbore naſcuntur, vnde aliqui ambo diſtincturi, priora vocant mora batina, hæc mora celſa, id eſt in celſa arbore prognata. Eſui expetuntur nigra, id eſt per maturitatem plenam atrorubentia, quæ ſucco pollent acidulo & dulci, cum adſtrictione grata, ſed profunde penetrante, quod experiuntur, qui digitis ſuis preſſos comminuerunt, & ſatis tarde elui maculas inde contractas ſentiunt: quamquam, GALENO quidem iudice, vis illa adſtringens in ſilueſtri aliquanto

quanto maior ſit. Idem auctor ventriculo apta & idonea iudicat ſi in ventriculum purum inciderint, & ſumta primis epulis fuerint: idemque videtur HORATIVS velle, quando *ſatyr. IV. lib. II.* canit:

- - ille ſalubres
Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore ſolem.

quem quidem locum, cum doctiſſimis interpretibus, ita capio, vt finire prandium idem ſit ac intra hos fines includere, vt nihil præter mora, pauxillo pane adiecto, aſſumendum ſuadeat: veteres enim vel nihil, vel pauculum aliquid & obuium, in prandio capiebant, plenam refectionem corporis coenæ reſeruantes. Ob adſtrictorias vires etiam curandi ſcopo laudem merentur: ſed illum nunc proprie non quærimus, diætetico vſui in primis nunc intenti. Pauciſſimis ſubiungimus MYRTILLOS noſtros, qui etiam vaccinia nigra a noſtris vocantur, & ſuccum moris haud multum diſſimilem continent, ſed magis aquoſum. Salubritate moris vix concedunt; ſiccitatem & ſiticuloſitatem emendando & tonum ventriculi & inteſtinorum inſtaurando, præcipue ſi butyro addito frixa in pultem redigantur & cum ſimilagineo toſto pane apparentur.

§. XI.

Accedimus ad RIBES: parum ſolliciti nunc quo nomine veteres hanc arbuſculam vocauerint, & an noſtræ ribes, quam alii uuam vrſam, alii groſſulariam non ſpinoſam rubram appellant, eædem ſint, quas ſemibarbari Arabum interpretes crebro ponunt. In noſtris regionibus paſſim ſponte prouenit locis decliuibus riguis: ſed in hortis, cultura adhibita, mirum in modum emen-

emendatur. Sunt fructibus eleganter rubentibus conſpicui, ſunt vero etiam albis, ſuccum acidulum gratum continent, quo nihil melius ad ſitim exſtinguendam & oris ſiccum ſqualorem emendandum offerri & exhiberi poteſt febre exuſtis. Ab ea immunibus, ſi tempeſtiue adhibeantur, moderateque deguſtentur, appetitum proſtratum erigunt, & omnem laſſitudinem ac exæſtuationem a labore & ſolis calore eximunt. Scorbuticis vidi vtiliſſime adhibitum acetarium ex portulacæ foliis & his fructibus, pro aceto adiectis, & ſaccharo addito. Syrupus ex ſucco factus acidulandis potionibus non ſine conſpicuo fructu adhibetur. Eſt aliquod ribium genus fructu fuſco ſeu nigricante, aliquantum graue redolente & ſapore acerbiuſculo. Hinc vaporoſo principio caput ferit, ſi multum aſſumatur: de viribus anodinis & antarthriticis, quas aliqui promittunt, nihil ſatis exploratum habeo. Eſt etiam genus quoddam fructuum, quod VVAM CRISPAM ſeu GROSSVLARIAM dicunt, noſtræ patriæ itidem domeſticum, neſcio an veteribus cognitum, aut quo forte alio nomine. Fructum iucundiorem maioremque horti præbent, qui grata aciditate, mucilaginoſo permixta, mirifice placent probe matura: maturitati propinquis in culinis vſus eſt ad intinctus iucunde acido & ſubacerbo ſapore imbuendos, quales iuniorum animalium mollioribus carnibus ſolent iungere. Quoniam veteres ficus immaturos, quos groſſulos vocant, iſti vſui deſtinabant, videtur inde nomen huic ſuccedaneo impoſitum eſſe.

§. XII.

CERASA ex Ponti regione ad ſe allata Romani memorant. Haud ſcio an per Germaniam ſatis frequens

arbor, & ſæpe locis incultis obuia, per Romanos ad nos propagata fuerit, an potius nobis domeſtica dici mereatur. Non vnum genus ſeſe vſibus noſtris offert: ſed ſunt omnino colore, ſapore & magnitudine diuerſa. Haut dubium eſt culturam in hoc genere pomi emendando plurimum valere. Primam gratiam habent præcocia, quæ fere alba aut parum rubra ſunt, & plerumque dulcia: ſed nigricantium ſeu atro rubentium, tam dulcium quam acidulorum, maior eſt ſalubritas, & poſtremorum etiam minus fugax duratio. Succo ſuo vinoſo dulci, plus vel minus acido, æſtum contemperant, humorumque noſtrorum ſupplemento idoneam humiditatem præbent. Quare vtilitatem fere eandem, quam de fragis agentes recenſuimus, afferunt. Ex ſucco paratus ſyrupus efficit vt frui ab illis ſperando emolumento per totum annum liceat. Notique ſunt alii etiam modi, quibus vel aceto vel ſaccharo condiuntur. Vinum ſucco ceraſorum imbutum, modo ipſum bonum ſit, & modeſte bibatur, vires reficit & per æſtatem vtiliter bibitur, quoniam non valde exæſtuare facit & excretiones omnis generis promouet. Nec carent talia inſigni ſuo fructu in ipſis malignis & periculo ancipiti plenis morbis. Teſtem ſupra dedimus, quum de rubo Idæo ageremus: addimus nunc Excell. D. D. CARLII, archiatri Danici, teſtimonium ex libro *de diæta p. 157.* & altero, pariter vernacula lingua ſcripto, cui titulus eſt: *medicina pauperum, pag. 53. & 54.* vbi commode ad longam durationem parare eosdem inſuper addocet. De CORNIS, quod addamus, parum ſupereſt: videntur enim a ceraſis & moris parum differre virtutibus.

§. XIII.

§. XIII.

Poſt ceraſa fere maturitatem conſequuntur PIRA & MALA: quorum infinita per regiones & hortos varietas notari poteſt. Sunt quædam eorum haud valde durabilia, vt fere omnia præcocia: alia, ſi debitam curam adhibeas, facile ſeruantur, dum noua in arboribus adoleſcunt. Tam pira, quam mala, ſucco ſuo valde diſcrepant. Habent quidem omnia acido-dulcem vinoſum, ea tamen differentia, vt in quibusdam ſit longe dilutior & aquoſior: in aliis vel acidum vel auſterum magis ſit conſpicuum, in nonnullis ſiccior & quaſi farinacea pulpa, absque multa humiditate magis fere offendit, quam allicit. Fere tamen piris vndique maior iucunditas ineſt: malis magis virile, vt videtur, robur. Atque hæc inter prima nobilitas competit illis, quæ Borſdorffienſia dicuntur, & Stettinenſibus, quæ & Ruppinenſia audiunt: quod nomen aliqui, patrium eſſe ignorantes, ab elegantiſſima rubedine, qua rubinum æmulantur, credunt deriuatum. Parum ad noſtræ patriæ mala & pira quadrant quæ Arabes, Græci & Romani de ſuis reliquerunt: quare nec immorabimur recenſendis illorum vel generibus vel doctrinis quibusdam, quæ miræ videri debent, examinandis. Quis enim attendet, aut vel minimam fidem habebit, Arabi, phthiſin vel hecticam ab eſu pomorum oriri docenti?

§. XIV.

GALENI de illis præcepta *c. l. cap.* XXI. apprime proba videntur: operam eſſe dandam vt bene matura ab arbore decerpantur, neque alia in ventriculum demittantur. Tum vſum eſſe ita dirigendum vt quæ quibusuis naturis, & morbis & morborum temporibus

magis quadrant, eligantur, ne illis, quibus acerba eſſent optime conuentura, molliſſima & dulciſſima offeramus, aut contrario modo agamus. Quæ non putamus cruda ſatis tuta fore, elixa vel aſſata offeramus: illis qui vomitu, diarrhoea aut dyſenteria laborant, aut de appetitu proſtrato conqueruntur, aut ventriculum debilem habent, cum pane edenda imperemus. MALA CYDONIA apud nos vix quisquam cruda comedit: elixa autem cum ſaccharo apponuntur in menſis. Bene matura hæc, non minus quam cetera patriæ noſtræ poma & pira, ſuccum præbent, qui, ſi quis fermentationis præcepta rite obſeruet, in vinum laudabile, iucundum & ſalubre abit: quamquam in hoc negotio multum intereſt quam bene matura, ſucculenta, dulcia adhibueris: prorſus vt id non quouis anno, vt & non cuiuis artifici æque bene ſuccedere obſeruemus. Syrupus pomorum iucunditate & vtilitate nulli cedit, ſi ex optimis ſit paratus. De PVNICIS MALIS, quæ GALENVS cum piris coniungit, pauca dicenda ſunt, quum natura noſtræ patriæ illa neget. Officinæ habent ſyrupum, eumque vel ex dulcibus vel ex acidis paratum: hunc facultas refrigerans cum adſtrictoria ventriculo grata commendat; illum gratia iulepis & potionibus adiiciendum ſuadet.

§. XV.

MESPILA & SORBA auctumno decerpuntur, & emollita in pulpam dulcem, vinoſo ſucco perfuſam, iucunde eſitantur, præcipue illis commendandæ, quibus aluus nimis fuſa moleſtiam creat. Sorba eſculenta in hoc tractu, quod ſciam, non obuia, in Germaniæ partibus magis ad auſtrum remotis crebra ſunt: quod

addo

addo ne quis aucupariæ ſorbi fructus intelligat. PRVNA apud nos optima & ſaluberrima paſſim proueniunt, quamuis ſint inter illa præcocia quædam, vt & maiora, illa cereo, hæc rubente colore, quæ non poſſunt ſaluberrimis adnumerari, ideoque paſſim legibus bonis proſcribuntur & foro expelluntur. Bene maturis illis, quæ Damaſcena audiunt, admodum blanda dulcedo ineſt, nutriendi facultate non deſtituta, ad aluum autem molliendam ac ſine moleſtia deducendam comparata. Si eadem cortice detracto & nucleis abiectis ab humiditate ſuperflua liberes, apta ad delicias menſæ & alui ſolutionem, & ægrotantium ſolamen habebis, præſertim ſi, ex GALENI præcepto, ex melicrato coquantur, aut coctis ſacchari ſufficiens quantitas adiiciatur. Succedunt ſiccata, quæ tamen minus omnibus arridere poſſunt, quia ab iis, qui vendunt, ſæpe immatura & carioſa bonis admiſcentur.

§. XVI.

Superſunt PERSICA & ARMENIACA, quæ & *præcocia* olim dicta, vnde videtur ortum nomen *Abricoces* & Germanicum *Apricoſen.* Atque hæc vltima quidem clementi ſolis calore bene percocta dulcem, iucundiſſimum, omninoque laudabilem ſuccum molli & nutritiuæ pulpæ includunt, ipſo odore recreantem & allicientem, nec facile vlli noxam inferentem, niſi qui inſigni intemperantia & variorum aliorum miſcela damni ipſemet ſibi auctor exſtitit. *Perſica* autem mala acidum ſubtile dulci mixtum fouent, magisque in fermentantem commotionem prona ſunt: vt maiori etiam moderatione ac circumſpectione deguſtanda ſint. Conſultius eſt ante coenam iis vti, vt appetitum excitent,

quam in fine prandii aut coenæ largioris eadem aſſumere: quod cum plerisque horæis fructibus commune habent. FICVS recentes apud omnes fere parum laudantur, quia inflant & tormina facile faciunt: præſertim illis, qui vel non perfecte maturos & excoctos asſumſerunt, vel nimis multos ingurgitauerunt, aut variis aliis intermiſcuerunt. Sed hac accuſatione carent ſiccatæ, quibus bene pinguibus ſolis multos per orientem homines victitare & longæuos ac robuſtos fieri teſtatiſſimum eſt. Par eſt ratio palmularum ſeu dactylorum: quæ apud nos non niſi ſiccata proſtant: vnde de recentium vſu plane non opus eſt diſputare.

§. XVII.

Vltimo loco reſeruauimus VVAS, dulcis muſti matres, quod in vinum nobile & generoſum adoleſcit. Neque tamen mirum videri debet, ſi vuæ apud multos male audiunt, quum vinum ipſum calumniam non posſit effugere. Nemo enim facile eſt, qui ſui peccati amaros fructus ſibi imputat: plerique innocentem creaturam accuſant. Vuarum eſum, ſi bene maturæ ſint, nemini damnum inferre, docent ſuo exemplo vinitores vinearumque cuſtodes, qui longo ſatis tempore vuis & pane victitant, vigent & pingueſcunt. Iidem reprobant illum metum, tamquam pelliculæ cum ſeminalibus granis deglutitæ, damnum afferant: nam vix quisquam eorum non illa ſimul deglutit. Qui autem ab vuis læduntur, hi fere ſunt, qui non bene maturus comederunt, poſt varios cibos ac potus, aut qui fermenteſcentem potuum ſuperingeſſerunt; aut denique qui ſero autumno a frigore iam læſas vuas, vnde craſis muſti deſtructa fuit, comederunt. Tales incurrunt choleram

leram vel ſiccam cum inſigni anxietate & ardore, vel humidam, id eſt impetuoſa euacuatione ſtipatam. Siccatæ vuæ, muſtum, vinum, cetera ex vuis prodeuntia limites tractationis noſtræ excedunt.

§. XVIII.

Paucula tandem de NVCIBVS ſubiungenda ſunt, ne imperfectam hanc horæorum fructuum conſiderationem aliquis arguat. Patria noſtra profert *auellanas, iuglandesque*: quibus accenſeamus *amygdalas*. Quum pleraque ex ceteris horæis fructibus ſuccum aquoſum, dulci aut acidulo temperatum, præbeant: nuces tali deſtituuntur, ſed gaudent inſtructæque ſunt oleoſo, aut ſi id recentibus tribuere mauis, emulſiuo ſeu lacteſcenti, ad nutriendum aptiſſimo. Probantur bene maturæ, ſed nondum vetuſtate rancidæ. Haud facile quemquam lædunt, qui vel cum pane ac ſale, vel cum bene maturis prunis aut ficis ſiccis, quod veteres inprimis laudare video, vel cum paſſulis moderate velit vti. Emulſio ex talibus parata ſiti ſedandæ, calori temperando & acrimoniæ obtundendæ vtilis eſt, viresque excitat. Video paſſim plura in catalogo horæorum poſita: vt poma citria, oliuas, cappares: quæ certe in noſtra patria nemo horæorum claſſi adnumerabit: quoniam certo & breui tempori non adſtricta ſunt; cappares etiam, quum ſint florum rudimenta, fructibus ſatis incongrue adnumerantur. Quare his neutiquam immorabimur; ſed aliqua ad fructus pleroſque, eorumque vſum & abuſum pertinentia, ſubiungemus, quæ huic loco reſeruauimus, ne de ſingulis eſſent inculcanda.

§. XIX.

§. XIX.

Sæpius attigimus illam conditionem, qua innoxie ſumi horæi fructus poſſint, ſi non ingerantur ventriculo antea per multos & varios cibos expanſo. Nitimur id aſſerendo primo quidem experientia, quæ cruditates in illis potiſſimum relinqui docet, qui ventriculum nimis inferciunt: Deinde ratione phyſiologica. Quicquid mollis illa interior ventriculi tunica, quam villoſam vocamus, in concoquendis, reſoluendis & quocunque modo ad chylificationem aptandis aſſumtis, ſuppeditat, illud non riuulorum ritu, vt cochlearibus metiri poſſimus, ſed tenuiſſimi roris aut halitus forma prodit ex arteriolarum & neruorum ſubtiliſſimis extremitatibus: nec penetrat altius, quam in id, quod proxime contingit: vt clariſſime probauit BRVNNERVS *de glandul. duodeni*. Iam vero magna expanſio efficit vt per neruos æque ac arterias impeditior ſit affluxus ad extremitates illas: adeoque ipſum hoc fluidum minori quantitate ſuppetat. Conſequitur vt laudabilis digeſtionis maxime neceſſarium adminiculum ceſſet aut minus accedat: tardior ergo erit ſucceſſus. Interea dum poſtremo ingeſti fructus horæi in ſuperiori hærent parte ventriculi, fouenturque calore, & menſtruo ſaliuali in motum fermenteſcentem concitantur: maioretiam ab illo motu inteſtino, vaporibus multis exſurgentibus, fit ventriculi expanſio: hinc anxietates, ructus, vomibundi conatus, vomitus ſæpe efferi. Recte igitur habet vetus dogma, quod horæi fructus male claudant largum quodcunque epulum.

§. XX.

Sed hæc ad quantitatem aſſumtorum ſpectant. Varieta-

rietatem dum reprehendimus, iuſtis rationibus id nos facere concedent, qui cogitauerint quantum varii generis, virium ſaporumque in vno prandio vnaue coena lautiori a coquis commiſceatur, vt gulam inuitent. Mittam cetera, & tantum dicam de aromatum copia, quæ in condituram adhibetur. Experientia autem docet quantopere aromata fermentantibus adiecta acrimoniam acidam exaltent, vt prorſus in corroſiuam, & breui quidem tempore, exaltetur. Iam quid mirum ſi fermenteſcentes ſucci, calido & concluſo loco detenti, inter cibos farinaceos, inter aromata, inter potulenta fermentabilia, inter pinguia, coeant in naturam valde acidam, & materialis admodumque conſpicua cholericæ paſſionis cauſſa fiat. Iniuſti ſunt iudices, qui ita male mulctatos ab horæis fructibus id pati pronunciant: quum manifeſtum ſit ad tam prauum effectum plura concurrere, quibus abſentibus impunis fuiſſet horæorum vſus.

§. XXI.

Inter potentes cauſas, cur aliquibus fructuum horæorum vſus male cedit, merito referimus illud ſtudium frigidiſſimos illos adſumendi: cuius cauſa vel frigidæ ex profundiſſimo puteo hauſtæ aquæ ante vſum eos immergunt, vel glacie & niue, in æſtiuos menſes aſſeruatis, obruunt & tegunt, atque ſub his protractos ori ingerunt. Non ſolum voluptatis cauſa id faciunt, ſed a medicis ad in inuitati, quin iuſſu eorum: vide LVD. NONNIVM *pag. 90.* Auctoritatem in eo ſequuntur GALENI *de aliment. facult. II. ap. 2.* ad quam omnes

prouocare videas. Scribit autem in hunc modum: *fructibus horæis ſolus is vtiliter vtetur, qui æſtu vehementiore & longiore itinere ſeſe confecerit: tunc enim iuuant corporis ſquallorem humectantia, &, ſi frigida ſumantur, moderate refrigerantia. Etenim humectandi quidem ſemper habent facultatem: refrigerandi vero haudquaquam habebunt, ſi calida ſic, vt dixi, affectis fuerint eſitata. Non enim proprio temperamento adeo ſunt frigida, vt, etiamſi calida ſumta fuerint, ventriculum refrigerent. Quare adſcititia egent refrigeratione, quæ partium, quibus primis occurrunt, calori aduerſetur.* Enim vero quam periculi plena res ſit, ſi ventriculo admodum calenti frigidiſſima copioſe ingerantur, docet quotidiana experientia. Iurare auſim pleroſque eorum, quos tamquam ab horæorum eſu vſuque necatos hiſtoriæ commemorant, ab hoc errore fuiſſe iugulatos, cui forte alter ſucceſſit error male conſulti medici, qui hoc rerum ſtatu, vt fructus ſcilicet horæos educeret, vomitorium exhibuit.

§. XXII.

Si quis in febribus ardentibus, tum vero etiam in lentis depaſcentibus, ab horæorum vſu fructum deſiderat, ipſi ante omnia ſuademus vt ſeponat prius tincturas bezoardicas, eſſentias alexipharmacas, aliumque ſimilem apparatum calidorum medicamentorum, quibus profecto nulla ſalus affertur. Permittat ægrotis mane, poſtquam iuſculum ceperunt, hora forte interiecta, fragorum, ceraſorum aut ſimilium vſum, cum buccella panis & butyro recenti. A prandio vna vel altera hora iterum ſumendos fructus offerat: cœnam au-

autem ex ſolis talibus cum pane præcipiat: ita fiet vt mox videat calorem depaſcentem minui, ſomnum placidum redire, appetitum vireſque inſtaurari. Sed ne quid fiat auidius & intemperantius, omnino prouidendum eſt.

§. XXIII.

Non eſt omittendum in hac de fructibus horæis tractatione, quod grauiſſime lædi ab eorum vſu poſſint, quibus ventriculus & inteſtina impuris humoribus, illic congeſtis, inquinantur. Fit hoc illis maxime, qui, tolerato dierum calidorum æſtu, non poſſunt ſatis cauere frigus nocturnum corporibus allabens, aut incidente tali tempeſtate humida & frigida poſt feruentiſſimam, expoſiti manere illi debent. Tunc enim quæ concitata ferebatur tranſpiratio, & impuritatum halituoſarum ad cutim demandatio & ibi facta excluſio, intercipitur & ſupprimitur; tota autem fertur ad internam ſuperficiem. Iam ſi illa ibi occurrat fermenteſcentibus talibus ſuccis, quales ſunt fructuum horæorum: aut illi in ventriculo & inteſtinis iam hoſpitantibus admiſceantur; facile excitant magnam & ſenſibilem confermentationem: vnde diarrhœæ primum enaſcuntur: mox ex aliis cauſis enata & accedente malignitate, dyſenteriæ quoque ingruunt. Id vero quum in agris & oppidis fieri etiam poſſit in egena multitudine, maxime tamen frequens eſt, auctumno appropinquante, in caſtris: quare nec mirum videri debet, ſi ibi fructuum vſui a plerisque tribuantur noxæ, quæ tamen non ab illis ſolis, aut neceſſario, ſed per accidentalem concurſum enaſcuntur.

§. XXIV.

§. XXIV.

Conſtitueramus plura hic adiicere de fructuum horæorum veris noxis, quas afferunt incongrue & intemperanter vſis; præſertim puerili ætati, & in plebeiis hominibus, qui ſæpe enormes in hoc genere aberrationes grauiſſime luunt; vt & de non vano metu, quod hi fructus, ſubinde rore pruinaque malignis conſperſi, ventriculo grauem noxam inferre poſſint: ſed nunc tempore excluſi telam abrumpere omnino cogimur. Itaque hæc

SVFFICIANT.